

Valahfridus (Wilfried Stroh) Monacensis

Vitae parallelae.

De studiis classicis quae usque ad annum 1989 in Germanorum Republica Foederata (BRD) et Republica Popolari (DDR) fuerunt aut esse potuerunt

1. A.1945 m. Maio **Germania se uictam** bello fatetur, pro peccatis suis poenas dare parata est. A uictoribus ouantibus in IV zonas diuiditur, tres occidentales, unam orientalem siue Souieticam. Tres illae in unam ciuitatem coalescunt, quae ad exemplum Americanorum popularis siue democratica esse constituit seque a. 1949 lege fundamentali lata *Rempublicam Foederatam* („BRD“) appellat; itidem ex hac Souietica zona eodem anno noua existit ciuitas, quae se *Rempublicam Popularem* („DDR“) esse uult, in qua nomine imperium est apud populum, re uera apud eos qui ualent in Factione Socialistica Vnita („SED“), quae e uetustis partibus Socialistarum („SPD“) et Communistarum („KPD“) in unum coactis facta est, obsequitur autem Russis Souieticis. Ceterae factiones, ut Christiani Vniti („CDV“) et aliae, admittuntur quidem, habent etiam in comitiis siue electionibus suos candidatos, sed nulla potestas est populo libere illorum legatos creandi, cum unicum candidatorum album sit.

2. Studia classica sub tyrannide factionis **Nazisticae** non plane interierant. Nam Adolfus Hitler Dux et Graecorum artes adorabat et imperium Romanum admirabatur. Educationem iuuentutis autem uoluerat spectare minus ad utilitatem quam ad fines „humanisticos“, ut dixit, Latinamque linguam, quam ipse non didicerat, aptam esse credebat ad ingenia acuenda. Quam exultauerunt magistri quidam Graeci et Latini tali Duce! Nec defuerunt e professoribus classicis qui nazistis primo saltem tyrannidis tempore fauerent, cum honestissimus quisque semper dissentiret. Graue tamen damnum bonae artes acceperunt, cum multi eique optimi professores e Germania fugere cogerentur quod aut Iudaei aut rebelles essent. In scholis autem numerus horarum institutioni Graecae et Latinae tributarum minutus est; eique scriptores praeferebantur quae superbiam quandam Teutonicam et studium militare augerent.

3. Post Bellum Maximum ubique in multis uniuersitatibus Germanicis bibliothecae et seminaria grauius deleta restituenda erant. Praeterea cathedrae professorum ab asseclis nazistarum purgari debebant, ne uenenum illud iterum ad adulescentes permaneret. Quod Germani orientales etiam diligentius fecerunt quam occidentales: plus quam dimidia pars professorum ibi dimissi sunt, inter quos multi fuerunt qui historiam antiquam professi erant, nemo, quantum scio, ex eis qui litteras ut philologi classici docebant. Nec mirum. Nempe ei, qui dominantes in re publica suas certas immobilesque opiniones iuuentuti inculcare uolunt, historicis potius quam philologis pro instrumentis et auxiliis utuntur. Id quod postea etiam in Germania orientali futurum erat. E philologis nemo aut paucissimi tum se marxistas profitebantur, multi e doctoribus antiquae historiae. Eo tempore autem, quo uniuersitates in Germania orientali denuo inauguratae sunt, etiam professores historiae antiquae omnes priscae illi disciplinae, quam ciuilem siue „bourgeois“ (aut „bürgerlich“) dicunt, addicti erant.

4. Linguae litteraeque classicae a. 1946 habebant quinque **cathedras in Germania orientali**: in uniuersitatibus Berolinensi, Hallensi, Ienensi, Lipsiensi, Rostociensi, multo plures sane in occidentali. Duo professores orientales maxime excellebant, et propter egregia in studiis merita et quod se a gubernatoribus nazisticis sedulo abstinerant. Qui ambo statim rectores magnifici creati nunc quoque ut optimi coluntur. Alter Fridericus Zucker, studiis papyrologicis maxime deditus, rector fuit in uniuersitate Ienensi, a quo tamen munere a. 1948 se abdicare coactus; cathedram tenuit usque ad a. 1961. Alter erat Ioannes Stroux, notus praesertim propter studia rhetorica et iuridica, qui a. 1946 rector Berolinensis creatus est, professor tum una cum Volfango Schadewaldt fuit. Postea a. 1947 cum *Factio Socialistarum*

Vnitarum („SED“) a doctoribus Berolinensibus posceret, ut doctrinam marxisticam magis ad suas scholas admitterent, etiam magnae parti studiosae iuuentutis id displicuit. Plurimi uero professores a. 1948 discesserunt a celeberrima illa uniuersitate, ut nouam conderent, quae *Libera* diceretur („Freie Universität“ siue „FU“). Orientales Berolinenses contra suam uniuersitatem, a nomine conditoris, *Humboldtianam* appellauerunt. Quae uniuersitatum distractio quasi praelusit discidio illi ciuitatum „BRD“ et „DDR“. His annis autem nonnulli professores philologiae eique illustrissimi orientalem Germaniam indignati reliquerunt: Volfangus Schadewaldt Tubingam, Fridericus Klingner Monachium, Carolus Reinhardt Francofurtum profecti sunt. Tamen multi strenui remanserunt. Neque hic neque illic defuerunt qui unitatem studiorum classicorum defenderent. Sic a. 1950 Ienae condita est illa *Sodalitas Mommseniana* („Mommsen-Gesellschaft“), quorum praeses erat Bruno Snell occidentalis, uir celeberrimus, uicarius Fridericus Zucker orientalis. Quae concordia non plus decem annos duratura erat, muro Berolinensi exstructo dissolui coepit, a. 1966 omnino periit.

5. In Germania occidentali studia classica post bellum statim effloruerunt. Scilicet quaerebant tum homines aliquid quod ante dominationem nazisticam bonum honestumque neque ab illa corruptum uideretur. Vnde etiam magna tum auctoritas erat ecclesiarum. Scholae siue praelectiones classicae in uniuersitatibus a plurimis frequentabantur, etiam ab eis qui aliis artibus studebant; augebatur in dies numerus scholarium. Etiam nouis uniuersitatibus, quae his primis decenniis satis multae condebantur, non defuerunt suae cathedrae classicae. Doctissimorum professorum libri ut Snelli uel Schadewaldti a populo quoque, paene ab ipsa plebe deuorabantur. Crederes fere iterum litteras renatas: *O saeculum, o litterae, iuuat uiuere!* In gymnasiis quoque non dissimile studium exarsit. Restituebantur illa *gymnasia* uere *humanistica*, in quibus et Latina et Graeca lingua paene ab incunabulis discitur; in ceteris quoque, non omnibus, sed multis, inde a quinta aut septima aut decima classe Latine discere licebat. Quod non nimis placebat Americanis, qui scholas Germanicas suis similes cupiebant, sed frustra. Sic factum est, ut Romanorum lingua post Anglorum sermonem, si discentium numerum spectes, secundum gradum teneret, in Bauaria illum etiam superaret. Certe plus quam dimidia pars discipulorum tum elementis Latinis imbuebatur, Russicis fere nemo.

6. Contra in Germania orientali inde ab initio Latina institutio uel eo diminuta est, quod omnes discipuli iam in quinta classe Russice discere cogebantur. Tamen etiam post scholas primum *socialistice reformatas*, ut aiebant, satis amplius patebat campus Latinae, etiam Graecae institutioni (quibus quaterni anni dabantur). Quod etiam accommodatum uidebatur ei Germaniae, in qua Carolus Marx et Fridericus Engels, coryphaei doctrinae marxisticae, et in gymnasiis utramque linguam perdidicerant, et non semel, quam suaues antiquae litterae essent quamque necessarium esset antiquam historiam pernoscere, dicebant. Sed iam instabat a. 1959 secunda *lex de scholis socialistice reformandis*, qua omnes discipuli uni generi gymnasiorum addicti sunt, quae uocabatur *Schola superior polytechnica* („POS“), complectebatur autem X annos. Hac copia Latine discendi ualde restricta est, etiam magis lege tertia quae a. 1965 lata est: Tum in scholis rectis siue ordinariis („POS“) Latina institutio paene ad nihilum redacta est, in *scholis amplificatis* („EOS“) quae dicebantur paulo plus, nec tamen multum, ei dabatur (quas scholas adire paucis licebat). Tantum in nouem scholis Germaniae orientalis aliquantulum Graecarum litterarum haurire concessum erat.

7. Ergo quae causa allata est huius deminutionis uel destructionis humanitatis et litterarum? Nulla. Nemo eorum, qui auctores eius erant, umquam, nisi fallor, sui facti rationem reddidit. Fuerunt sane inter Germanos orientales qui dicerent occidentales quosdam sententiis humanisticis abuti ad fines parum humanos, immo barbaros, sed ne id quidem tum dictum est. Nec nesciebant, puto, in societate capitalistica olim maxime gymnasia floruisse humanistica. Tamen id quoque nemo proferre dignatus est. Videlicet nihil necesse erat sese excusare, tanta erat factionis potentia. Tamen uerissima causa patet: Volebant scilicet soli utilitati et mercium fabricationi seruire, non humanitati et eruditioni hominum. Sed quo magis decrescibat

educatio uetus illa humanistica, eo magis augebatur usus uerbi *humanismi*. Quod a. 1959 semel usurpauerat Curtius Hager, a factione eruditioni et fidei propagandae destinatus, cum diceret *educationem et eruditionem* tunc denique esse *penitus humanisticam* („ein zutiefst humanistisches Bildungs- und Erziehungswesen“): postea a. 1965 in lege tertia *de scholis reformandis* eadem uox iam octies inuenitur, ad philosophos, poetas, educatores extenditur: Quantum diluuium humanismi! Quantum detrimentum humanitatis!

8. Paene abolita post has leges doctrina Graeca Latinaque in scholis quid attinuit puellas adulescentesque illis artibus bonis studere in **uniuersitatibus**? Ergo in una uniuersitate Ienensi licebat paucis, non plurimis, ita litteris humanis operam nauare, ut inde linguarum magistri euadere possent. Vbi post Fridericum Zucker uiri non mediocriter docti gloriam Iensium sustinebant. Vniuersitatis Hallensis professores non magistris futuris docendis, sed studiis altioribus fouendis uacabant. In ceteris uniuersitatibus si qui restabant philologiae classicae professores, ei ad instituendos aliarum artium alumnos aut ad lexica et manualia contexenda adhibebantur.

9. Ceterum omnis exquisitior scientia ac doctrina translata est ad **academias**, non sine aliquo emolumento. Inter quas minores partes erant Academiae Saxonicae, eminebat longe Berolinensis, quae tum *Germanica Scientiarum Academia* („Deutsche Akademie der Wissenschaften“) diu appellabatur, condita autem fuisse dicitur a. 1700 ab ipso Leibnizio. Ea a. 1946 denuo inaugurata est praeside **Ioanne Stroux** philologo classico, qui in oratione dedicatoria Latinis uerbis de *noua uita* post interitum barbariae dixit. Sed praesertim in Germania occidentali multi grauitur ferebant, quod is Iosepho Stalin principi barbaro Russorum ad celebrandum natalem sua sponte quidem, sed nomine Academiae telegramma misit, quo eum salutauit ut *philosophum qui tamquam uates sagacissimus* („mit seherischer Klarheit“) *omnes res historicas et publicas penitus perspexerit*. Quare cum Strouxius a. 1950 omnes Germaniae uiros doctissimos ad celebrandum natalem Academiae Berolinum uocaret, occidentales plerique negauerunt, multi ex academicis ipsis academiam reliquerunt.

10. Ceterum Strouxius de Academia et litteris bene meritus est: Renouauit uetustissima et utilissima illa **opera Academica** (e magna parte iam Mommseniana) ut *Corpus Inscriptionum Latinarum*, *Inscriptiones Graecae*, *Lexicon Mediaeualis Latinitatis*, *Prosopographiam Imperii Romani*. Sub auspiciis Academiae edebantur etiam periodica *Philologus*, *Clio* („Klio“), *Antiquitas* („Das Altertum“). Iacebat igitur humanitas in scholis, florebat doctrina in Academia. Quae inde ab a. 1972 *Academia Reip. Popularis Germanicae* („Akademie der Wissenschaften der DDR“) appellata est. De Germania unienda dudum desperauerant.

10. Strouxius mortuo a. 1955 **studiis antiquis fouendis** in Academia Institutum proprium conditum est („Institut für griechisch-römische Altertumskunde“), a. 1969 sub nouo nomine *Instituti Centralis* restauratum est („Zentralinstitut für Alte Geschichte und Archäologie“), in quo, ut ex ipso nomine patet, pars philologiae pedetemptim diminuebatur, crescebat historia, quae marxistis non sine causa maioris momenti uidebatur: Id enim omni historiae propositum esse dicebant, ut demonstraret et comprobaret necessitate quadam fatali omnis historiae cursum per certas et distinctas societatum formas ad socialismum uergere.

11. Primas in hoc Instituto partes agebant **Ioannes Irmscher** et **Vernerus Hartke**, uiri Factioni Socialisticae non ingrati. Irmscherus uir erat singularis industriae doctrinaeque multifariae, non dissimilis Schadewaldtio magistro olim suo, quamquam ingenio impar, homo omnium horarum et partium. Plurimis notus est propter *Isagogam in studia antiqua breuem* („Praktische Einführung in das Studium der Altertumswissenschaften“), a. 1954 editam, in qua defendit cognitionem doctrinae marxisticae eis quoque necessariam esse, quibus aliae rationes placerent. In alia *Isagoga* disciplinam Byzantinisticam adumbravit; notissimum in Occidente quoque est eius *Lexicon Antiquitatis* („Lexikon der Antike“), in quo uestigia marxistica uix reperias. Conuentibus occidentalibus libentissime intererat. Post *Remp.*

Popularem („DDR“) dissolutam increbruit eum inter ministros fuisse *Ministerii Tuendae Rei Publicae* („Ministerium für Staatssicherheit“, uulgo „Stasi“), saepe eum collegas ut suspectos detulisse. Etiam notior delator erat Hartkius, iam sub nazistis professor creatus, post bellum statim comunista factus, mox Factionis socialisticae sodalis. Appellabatur per iocum *Imperator puerilis* („Kinderkaiser“), quia de hoc genere Caesarum („Römische Kinderkaiser“) dissertationem scripserat. Huic successit Ioachimus Herrmann, soli historiae, non philologiae deditus. In uniuersitatibus academiisque occidentalibus tales libri historicorum e disciplina marxistica parum legebantur, una excepta Academia Moguntiacensi („Mainz“), quae sibi ab orientalibus prouocata condicionem seruorum antiquorum („Antike Sklaverei“) inuestigandam iam a. 1950 proposuit. Ea Academia cum suos libros, tum scripta Russorum Germanice uersa publicabat, utile inceptum!

12. Transeamus igitur ad occidentem. Inde ab anno fere 1960 **aetate Adenaueriana iam expirante** animi hominum in Germania occidentali multis uariis rebus commouebantur. Tum enim in historiam tyrannidis nazisticae diligentius inquirere coeperant, tum pacem cum Russis orientalibusque ciuitatibus stabiliendam uidebant; multi autem putabant scholarum numerum maxime augendum esse, ne Germania inopia periret. Denique inde ab a. 1967 extiterunt in ipsa iuuentute marxistae quidam, qui, cum se alienissimos a Germania orientali dicerent, tamen liberare operarios a dominatione capitalistarum uolebant (nec tamen illi operarii suis uindicibus assentiebantur). Quae sententiae etiam ad scholas philologicas aliquatenus pertinebant, cum adulescentes nouas rationes explicandi scriptores classicos poscerent, fundamenta rerum omnium oeconomica exploranda censerent.

12. Neque **eruditio illa humanistica** dicta uituperatoribus carebat. Iam a. 1955 Theodorus Litt paedagogiae professor, qui e Germania orientali fugerat, scripto *De humanitate classicorum Germanorum* („Das Bildungsideal der deutschen Klassik“) Humboldtios Goethiosque reprehenderat, quod homo ille omnibus numeris eruditus et perfectus nostrae aetati non conueniret. Simile quid censuit Saulus Beniaminus Robinsohn, qui a. 1967 suo libro *De eruditione per curriculum scholasticum reformanda* („Bildungsreform als Revision des Curriculum“) animos non tantum magistrorum uehementer conturbauit: Obiecit enim humanistis quod barbariae nazisticae non fortius restitissent; antiqua autem scripta, etsi perpulchra essent, recentibus minime esse praeferenda dixit. Neque hoc diu tulerunt magistri Latini in *Philologorum Classicorum Sodalitate Germanica* („Deutscher Altphilologenverband“) congregati, qui subtili computatione et matrice quadam usi paene sescenta commoda, cur Latine discere utile esset, inuenerunt. Quod non parum profuit ad institutionem praesertim Latinae linguae confirmandam et stabiliendam. Nec tamen haec omnia eheu orientales ciues Germanos tetigerunt.

13. Fatalis illa necessitas et in Germania et alibi non ad socialismum duxit: A. 1990 *Respublica illa Popularis se Reipublicae Foederatae* sic adiunxit, ut ipsa interiret. Iterum dices: *O saeculum! o litterae!* Continuo in omnibus uniuersitatibus orientalibus seminaria classica restituta sunt, desiderabantur etiam apti professores – ut minoribus quoque ingeniis uia munita esset. In gymnasiis autem etiam pluribus magistris Latinis opus erat. Quare quidam summo studio se ab institutione Russica ad Latinam transformabant. Sed de his dicere non meum erat.